

17.97. 43  
1713.

# DECANVS, SENIOR, ET RELIQVI FACVL- TATIS PHILOSOPHI- CAE PROFESSORES PVBLICI,

*Philosophiae studia uel tractantibus,  
uel adiuvantibus priuatim docendo,*  
S. P. D.



VITEMBERGAE,  
DESCRIPSIT FORMIS CHRISTIANVS SCHROEDERVS,  
ACADEM. TYPOGR.  
ANNO cIc Ic CC XIII.

44

446



Vi in hanc Academiam ue-  
niebant olim nouitii studiorum,  
iis apponi ex nostro Ordine cu-  
stodes quasi, ac monitores so-  
lebant, qui uitam ipsorum, stu-  
diaque inspicerent, ac gubernar-  
rent. Quod institutum quan-  
tas utilitates attulit, cum obser-  
uaretur; tanta post consecuta incommoda sunt, cum  
exolevissent. Pauci callent ab se, quid factio opus sit:  
multos consortia prava corrumpunt, utcunq; recta  
indole natos. Iam Ordinem studiorum quotusquisque  
tenet? Alius necessaria negligit, in non necessariis occu-  
patur. Sunt, qui in parte perpetuo haereant; quam nec  
negligere, et totum debebant tenere. Inuenitur et istud  
hominum genus, qui, sine cortico nature se posse, existi-  
ment: et sibi meti ipsiis discipuli iuxta sint, ac doctores.  
Quibus omnibus caueri posset, si essent, quos in consili-  
um adhiberent discentes, et, cum iam adhibuerint, auscul-  
tarent. Nunc, cum sibi quisque et relinquatur, et sapi-  
at, sane paucissimi officium faciunt. Et inde est, quod  
Auditoria fiant solitudines, et rari ad eruditionem adspic-  
rent, quae solida sit, et quiddam eximii promittere publi-  
co queat. De ceteris Facultatibus nihil attinet dicere: ad  
nostram quod est, nunquam instituuntur Candidatorum  
Magisterii examina, quin id abunde experiamur. Ita-  
enim responderetur a non paucis, ut facile constet, inania  
potius, et obliviscenda, quam necessaria, et quae in usu  
sint,

sint, didicisse. Ceterum recte semper admouetur mor-  
bis manus; licet non semper feliciter, et cum successu.  
Quare, cum incumbat nobis uidere, ne quid res Philo-  
sophica detrimenti patiatur; atque cauere adeo, ne et im-  
pediat commodi publici ratio, et dignitas Magistro-  
rum evilescat: in medium consuluiimus, qua ratione fisti  
haec labes, et in utrumque prouideri recte posset. Ac est  
persuasum nobis penitus, hoc maxime fonte manare  
malum: QVOD NEGLIGVNTUR LECTIONES  
PVBLICAE; PRIVATAE HAVD RARO PERPE-  
RAM INSTITVVNTVR. Nam, multa quotidie  
committi, constat, contra sancta legum, et quae pru-  
denter maiores, summoque consilio, circa eas constitu-  
erunt. Quibus ut nihil neque utilius est, nec necessa-  
rium magis, ita cumprimis vindicanda in lucem, ac u-  
sum denuo, atque iecirco descripta typis promulganda  
omnibus, quo notiora fierent, nec locus esset obtenu-  
tui, qui peti ab ignorantia aliqua posset, in praesenti sunt  
uisa. Praedecessorum nostrorum exemplo, qui ante  
annos fere XCIII, et denuo, ante annos hos nouem  
cadem ita publicarunt. Quibus ut sua iterum consti-  
tuatur auctoritas, ac uis, priuatos Lectores omnes mo-  
nemus, ut, tempore ad id indicendo, quo quis spatio se-  
mestri, apud Decanum conueniant, tum ut rationes  
reddant de administratis partibus; tum ut monean-  
tur de iis paulo uberiorius, quae maxime illis tenenda de-  
inceps, et obseruanda fuerint. Ad publicas autem le-  
ctiones quod attinet, inuitare quemque ad illas frequen-  
tandas debebat, tum utilitas insignis Philosophiae, at-  
que praestantia, quae per se manifesta est, nec ullo uer-  
borum patrocinio indiget; tum, si quis consideret, quan-  
tum possit praeceptoris uox; et quantum intersit vete-

rano magistro, et qui subactus multo usu sit, eoque iudicio magis polleat, quam eo uti, in quo haec omnia desiderantur. Sed, quoniam nihil horum magnopere attendere nostri sponte volunt, quaedam quasi admonuendae machinae sunt, quibus, quod impetrari alioquin haud potest, obtineatur. Constituimus igitur, sanximusque : *Ne quis deinceps, petiturus honores Magisterii, admittatur ad Examina, nisi qui rebus idoneis docuerit ante, ac demonstrarit, se Professores Philosophos, aut omnes ordine, aut maximam partem audiuisse, atque sic absolvisse disciplinarum orbem : aut sane praecipuas, cum Linguis, atque Mathematicis, quod leges exigunt, diligentius excoluisse.* Indignum quippe est, audire quem uelle Philosophiae Magistrum, qui in paucissimis partibus huic incubuerit, quam totam debeat tenere, mediocriter licet, et ut nullius plane disciplinae sit rudis. *Quod cum et a Screnissimo ELECTORE PRINCIPE, Domino, ac Nutrio nro Clementissimo, sit confirmatum, et in aliis Academiis obtineat, et a prudentibus probatum constet : nemo, putamus, periculosae cuiusdam nouitatis nos accusabit.* Non temere quidem migranda consuetudo uestus est : sed, si cum utilitate insigni res ea coniuncta sit, religioni haud esse debet, uel tollere etiam uetera, ut noua, et meliora surrogentur. Nam usitatis iam olim adiicere aliquid, quod emolumento sit, tam extra omnem reprehensionem positum semper fuit, ut laude etiam dignum haberetur. Sed hoc de nostris tantum decre-

decretum uoluimus, non illis, qui peregre ad nos ue-  
niunt, gradus huius petendi causa. Quibus tamen  
ipsis quoque non temere ante patebit accessus, nisi  
uniuerso ordini probauerint, se in iis, in quibus uixe-  
rint hactenus, aut iam nunc uiuant, Academiis, Au-  
ditionibus Philosophicis sedulo interfuisse, atque sic  
comparasse eam doctrinam, ac eruditionem, quae di-  
gna publico testimonio, tituloque uideatur. Cete-  
ra, quae hic fiunt perperam, et detergere non paucos  
a petendo gradu hactenus consueuerunt, suo curabi-  
mus tempore, ut emendentur, quantum potest, aut  
remoueantur. Nam in utroque satisfaciendum of-  
ficio est, uidendumque, ut ad indignos ne ueniant  
praemia, quae debebantur merentibus; et ne quid sit,  
quod horum conatus remorari possit. Nunc au-  
tem de eo Vos admonere oportuit, de quo praeципue  
cogitandum, ac primo. Quo norint mature, quas  
sibi implendas partes habeant, qui adspirare ad no-  
stros honores deinceps velint. Deum precamur,  
ut instituti hoc genus salutare sit literis, feliciterque  
eueniat; egregiaque studia e situ, et squalore uindi-  
centur, nec non ad priscam felicitatem efflorescant,  
iterum, et fructus uberrimos in omnes Reipubl. par-  
tes diffundant, ac spargant. Ad tollendos autem  
abusus, qui in exercitia disputationum publicarum,  
nec non collegiorum priuatorum irrepserant, HAE  
LEGES, communi omnium Philosophiae Professo-  
rum consensu, iam olim latae, et auctae nunc alicu-  
bi, sanctiae fuerunt. P. P. Dominica XIII  
post TRINITAT. Anno clo 10 CCII

) ( 3

LE-

I.  
LEGES DOCENTIVM.

1. Qui in Facultate nostra legere, et docere uoluerint, Artium libe-  
ralium sint Magistri, et quidem ante annum, uel, ad minimum  
eius dimidium promoti: quique eruditio[n]is suae specimen per pu-  
blicam Disputationem, sub Professore habitam, ediderint Au-  
tores.
2. I[st]i nomina sua edant apud Decanum, qui eos in Matriculam Fa-  
cultatis ordine inscribet.
3. Magistros uero Facultatis nostra Matriculae non inscriptos, hic le-  
gere, regere, aut disputare; Studiosos quoque tales audire, Interdi-  
cto Electorali iam olim prohibitum est.
4. Magistros quoque priuatim legentes decet bonum Facultatis pro-  
uiriliprocure, eandem domi, legendo, uel disputando, adiuuare,  
Disputationes ordinarias uisitare, et publice quoque disputare.
5. Hanc in rem quilibet Decanorum omnes Magistros, priuatim le-  
gentes, sub initium sui Decanatus, semel conuocabit.
6. Conuocati Magistri eligant lectio[n]es, et exercitia, eo semestri in-  
situenda, et Facultatis de iisdem audiant iudicium. Nam, citra  
huius consensum, nemo quicquam interpretari, uel legere debet,  
sub poena, si secus actum fuerit. duorum Imperialium.
7. Cum primis autem Decanum, et Professorem eius Scientiae, in-  
quamque Lectio[n]em, quotiescumque ea suscipitur, consentire  
necessum est. Quare nulla plane significatio ullius exercitiipri-  
uati fieri debet, nisi ab hisce impetretur uenia, et Decanus, cum  
Professore eius Scientiae, in subnotatione nominis sui, ad pro-  
gramma refetur.
8. Electio exercitorum priuatorum discrete instituatur, ut diuersa  
diuersa feligant, et pleraque Philosophiae partes eodem tempore  
praetegantur.
9. Legantur autem priuatim iidem Autores, qui publice praelegi-  
solent; attamen per uices, ne ea, quae actu publice leguntur, co-  
dem tempore a priuatibus lectoribus proponantur.

10. Qyo-

10. Quoniam exercitium est communibus studiis, imperitam adolescentiam ab Auditoriis publicis in quibus Viri, tum SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE, tum Senatus Academici iudicio probati, docent, abduci, sedulo caueant priuati lectores, ne horas, lectionibus publicis destinatas, occupent subpoena, in antiquis Legibus expressa, duorum Imperialium.
11. Ad Exercitia autem domestica uacant, usque ad septimam matutinam, omnes, item, a decima ad primam meridianam, omnes: nec non a quinta uespertina reliquae. Mercurii denique dies, et Sabbati, praeter horas, quibus sacrae haberis solent conciones.
12. Nemo legat uellicatum, aut saltuatum, aut suas collectitias meditationes ad calatum discentium dicitur.
13. In Legendo quilibet ita uersetur, ut non nisi consona doctrinae publicae adstruat: et a nouandi studio sibi omnino temperet.

## II.

### LEGES DISPUTANTIVM.

1. Qui non tantum legere priuatum, sed disputare insuper uoluerit, non temere sibi praefidis partes sumat, nisi ante satis fuerit in hac palaeisira, tam opponendo, quam respondendo, sheldatus, et, post decaginta dies, sub decimo projecto rubrici in hac Academia, uel Adianeli, semel, atque iterum, Respondentis locum cum laude defenderit.
2. Has partes qui primo omnium tentare uelit, non alterius Professoris eligat materiam, quam, de qua antea publice responderit sub Professore.
3. Priusquam Disputatio publice proponatur, Decano, et Professori illius Scientiae, unde Disputatio desumpta, octiduo ante exhibeat, atque in geminis quidem exemplis, addita inscriptione, ne litera quidem, aut syllaba, inter se discrepantibus: ut alterum retineat Censor, pronoscere quo possit, si super negotio aliquo, quod eo pertineat, quid controversiae forte incidenterit.
4. Argumenta Disputationum non sint miscellanea, sed ad illustrandam unam aliquam doctrinae Philosophicae partem accommodata.

S. Aliena

5. Aliena non admisceantur, et extra Philosophicas metas sita :  
quae cum latissime patent, necesse non est aliarum Facultatum  
inuadere controversias, aut eo Disputationem abripere.
6. Corallaria uel nulla sint, uel paucissima : eaque ab argumenzo  
Disputationis non prouersus aliena, affirmata insuper, uel negata.
7. In allegandis auctorum testimoniis delectus adhibeatur; nec mi-  
nus modestia, in dissensu cumpromis : nam ap[er]ae postoris, audaci-  
isque censuris abstinentum maxime est.
8. Quod gravissimis rationibus duci Publici Professores quandoque  
faciunt, id imitandum sibi Magistrorum quilibet protinus hanc  
putet. Neque enim decent eadem omnes, nec licent omnibus  
omnia.
9. Thesum, in Disputatione exhibitarum, numerus pagellarum IIX, a Col-  
legio liberaliter concessas, non excedat.
10. Habeantur Disputationes Philosophicae diebus Mercurii, et Sa-  
turni, et inchoentur hora VIII antemeridiana, et II pomeri-  
diana; finiantur vero hora XI, et V. Tardius adueniens, fini-  
ensue, in Fiscum Facultatis Imperialem soluere teneatur.
11. Theses priuatarum Disputationum typis neutquam mandentur,  
nisi e Professorum numero sit, qui praefideat.
12. Si responso aliqua, uel oppositio displaceuerit, liceat Decano, uel  
Professori praesenti, iuuentutis eruaciencae causa, amittere inter-  
fari. Neque enim uel Opponens Praesidem, aut Respondentem;  
uel Praeses, aut Respondens, Opponentem verbis afficiat derisoris,  
improbosis, ac iniuriosis quibuscunque ; sed cum modestia, et  
tranquillitate uterque tueatur partes suas.
13. Summatim, sint Disputationes omnes sincerae, amicae, non cla-  
morosae, aut odiosae; magis ad eruendam veritatem, quam ina-  
 nem gloriam aucepandam accommodatae.
14. In negligentias, et excessus Magistrorum legentium Decanus ad-  
nimaduertet, et eadem corriget : rebelles autem, cum consensu  
Facultatis, eo usque a Lectione suspendet, donec satisficerint.

— (O) —

Ye 3447

ULB Halle  
003 033 120


3



5b

V317

03, 2001 8d,



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



18.47. 43  
1713

# DECANVS, SENIOR, ET RELIQVI FACVL- TATIS PHILOSOPHI- CAE PROFESSORES PVBLICI,

*Philosophiae studia uel tractantibus,  
uel adiuvantibus priuatim docendo,*

S. P. D.

44  
45  
46

VITEMBERGAE,  
DESCRIPSIT FORMIS CHRISTIANVS SCHROEDERV,  
ACADEM. TYPOGR.  
ANNO cIc Ic CC XIII.